



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

II. Iac. Sadoletvs Episc. Carp. Reginaldo Polo S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

Lazarum tuum Patavij offendi, cui etiam tuas literas tradidi cum ad me salutarum humanissimè venisset. Omnes verò tibi ista animi tranquillitate & ocio gratulantur: ex quibus tam perclaros factus oriri, & prodire in vilitatem publicam vident. Quæ ut tibi perpetua sint optant. Egoq; imprimis, qui non minus perclaros sciam te iam parturire, his qui a te iam sunt in lucem editi, hoc idem optare non desinam, partumq; felicissimum opto. Vale. Venetiis, IIII. Cal. Nouemb.

## II.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.  
Reginaldo Polo S. P. D.

ILLVM primum cepi ex literis tuis fructum, quod cognovisti. His manu tua scriptis, te valitudine bona iam vti: de qua tuam mehercule aliquot antea diebus non parum sollicitus, cum Thomas tuus ad me Auenione scripsisset, te in eum motum quo hic laborabas, Venetiis deavò incidisse: nunc tuæ mihi peroptata: literæ omnem mihi huiusmodi de te metum & sollicitudinem meam penitus absterferunt. Confido enim (quæ tua temperantia est) hunc nuncium valitudinis tuæ, & letitiam quæ nos ex eo capimus, diuturnam nobis fore. Alter autem fructus ex tuis literis non tam fortasse necessarius, quam hic de quo dixi, sed certè ad voluptatem animi aliquantò vberior: quod quantum tu me ames, & quàm de me honorificè sentias, ex ceteris planè literis perspexi. Etiam mehercule cuiusmodi tu sis, quæ doctus, quàm humanus, quàm elegans, quàm dignus quæ omnibus his ameris atq; coloris, qui virtutem, & comitatem, & primum sibi morem esse colendum putent. Sed quæ tu ad me me ipso scribis, in quibus iudicium tuum est de me cum singulis benevolentia coniunctum: omnia sunt eiusmodi, ut cuiusmodi amanti facile appareat, amanti illa esse hominis magis, quam suæ. Et si enim tu hac ingenij quoq; & sapientiæ laude mirum ornatus es ut possis commodè iudicare de altero: tamen id quod tibi esse impedimento, quod plurimis officit, ut amore inducitur amici bona carius æstimes, quàm quanti illa sunt, minimè mirandum est: præsertim cum naturæ humanitatem habeas ingenio & prudentia non inferiorem. Mihi quidem, cum ea quæ tuis tribuis, non continè agnoscenda esse videantur, libenter illa refero & conuerto ad amorem: quo sanè dum charus tibi factusq; sum, satis tuo iudicio me ornatum esse puto. Non enim in diocris est opera, neq; virtutis, tali viro qualis es tu, tam optè placere. De te verò, mi doctissime atq; humanissime Pole, si cetero xero quæ sentio, nunquid tu illa cetero iudicio, ac benevolentia



In te metes ascripturus? Veinam quidem possem verbis omnia complecti, quae mihi de te in animo insita, penitusque affixa sunt: non vereretur nimium amantis suspicionem. Sed si hoc non queo, quod meos eloquendi, exprimendique conatus, tuorum ornamentorum copia obruit: illud quidem dicam quod in promptu est: visque eò me aspectu, sermone, sanctissimis tuis illis, & modestissimis moribus, fuisse captum: ut nunquam postea mihi ex animo nostri illius congressus memoria exciderit. Quanquam enim percipiendi tui penitus, ac fruendi exigua mihi potestas fuit facta, propter subitum à nobis discessum tuum, qui mihi meritis non minus reliquit, quam tuus letitia aduentus tulerat: tamen vitae cursum tuæ mecum ipse considerans, & summorum hominum testimonia, quae tibi sepe egregia apud me ab illis data sunt, cogitatione mea repetens, quibus praesertim testimonio brevis illa mecum congressio tua apprime fidem fecisset: talem te in animo gerere cepti, qualis profecto tu es. Neque aliter strare poteram, quam eum, qui & nobilitate domi, & fortuna amplissimus, cognatos, familiares, patriamque reliquisset: & cum flagraret studio atque amore artium optimarum, ex ultimis orbis terrarum regionibus illarum adipiscendarum causa in Italiam se contulisset: ibique annos complures commoratus, ita se dedisset familiaritatibus amicis, & doctissimorum ac praestantissimorum hominum, ut illorum omnium iudicio impensis dignus ipse haberetur, quem & propter fidem atque integritatem vitae venerarentur omnes, & propter ingenium doctissimumque colerent: hunc ego (inquam) existimare alium non poteram, quam summum & singularem virum: hominemque eiusmodi, cui nos ita qui pendimus & iudicare aliquid possumus, non benevolentiam modo, aut honorem tacitum, sed omnia cultus & officij aperta & perspicua studia deberemus. Accesserunt litterae tuae praeclarae testes ornamentorum tuorum, atque amoris summi erga me tui: quae me totum tibi addixerunt. Quam illae humaniter scriptae: quam eleganter: quam argute: nihil ut ingenij luminibus his quae in eis plurima elucent, nihil ut praeclarae fidei pietatis tuae, ac religionis erga summum Deum, quae in illis expressa est, fieri possit illustrius. Et tamen tu is cum sis, qui alicuius domum ingressus, intro tecum feras letitiam hospiti tuo, atque honorem: agis mihi per literas gratias quod de domi meae libenter acceperim. Quasi non maximo mihi ornamento fieri aduentus tuus, & voluptati sermo atque congressus. Aut tu plus ex me, quam ego ex te, & ex sermonibus tuis, adeptus fueris & fueris, & commodi. Ast ego tuum illud consilium si de te & sapiens nunquam è memoria depono: cum tu mihi dubitasti, quodnam genus potissimum sequi studiorum deberem,





& quorum auctoritati atque opinionibus assentiri: quod erant  
 qui alia mihi studia quedam, & diuersas scribendi rationes pro-  
 ponerent: sidenter & promptè confluisti, vt ea precipue lectu-  
 rer studia, quorum fructus in hac vita non solum, sed in omni  
 ternitate integri manere possent. Quo ego responso maxime  
 ductus sum, vt me literis sacris totum dedendum putarem, a  
 quas eram iam quidem sponte mea propensior. Simulque integ-  
 ritatem, & virtutem, & religionem tuam admiratus sum. Qui enim  
 inter eos homines diu versatus esses, quibus hæc studia minime  
 probantur: atque eis artibus ipse instructus, quorum videlicet  
 pos, eruditio, elegantia, ab his rudiioribus (vt existimatur) studiis  
 abhorrebat: bonitate tamen naturæ, & ingenij vi, ac ceteris, am-  
 ponenda studia duceres: quæ non presentem modo suauitatem  
 sed multo magis rationem perpetuæ vtilitatis habeant. Sed que-  
 ro: maioris ista sunt operæ & temporis longioris quam vt in  
 epistola comprehendi possint. Veniamus ad literas. In quibus  
 quod scribis, librum meum in via tibi pro vehiculo fuisse, valde  
 mediisfidius id lector: quodque eum probas ac laudas, mihi te  
 vehementer gratum (quid enim dissimulare est opus) Sed illud  
 gratius tamen est, quod ex illo te intelligo memoriam & cogi-  
 tationem mei crebrius aliquantò & diligentius vni passe: quod  
 nihil mihi quidem accidere potest optatius. Mandata mea, quæ  
 abeunti tibi dederam, diligenter te conseruasse, neque hinc  
 ui enim fidem & integritatem tuam) & te de ea re plurimò de-  
 mo. Accepiam quidem à Bembo meo literas, cum vberes ad  
 quæ ab eo requirebam, imprimisque & elegantes & eruditissimas  
 tum omnibus refertas officij ac beneuolentiæ signis. Expre-  
 tionem tuam qua vteris mecum, quod locum Theologiæ in  
 numeratione earum artium, quibus recta institutio adolescen-  
 tiæ continetur, nullum dederim, sed in philosophia totum ho-  
 minem constituerim: sic accipio mi Pole, vt in omnibus rebus  
 etis atque factis tua animi virtus, Deo dedita voluntas velle  
 menter mihi probetur. Sed ego primum nominatim de Theolo-  
 gia nihil dixi, quod ea in philosophia nomine continetur. Est  
 enim Theologia (vt ipse nosti) apex quodammodo philosophiæ  
 & fastigium. Cuius tanquam magni cuiusdam corporis, cum plu-  
 ra membra sint, vt ab Aristotele est perspicuè demonstratum, illa  
 quæ de Deo pars, & de principe cautè pertractat, sola proprie  
 gna est quæ philosophiæ nomine censetur. Quæ etsi aliter tra-  
 tractata à nostris est, ac veteribus fuit: eam tamen philosophiam  
 nunc appellari video à doctissimis & sanctissimis viris, Christo-  
 stomo, Basilio, ceterisque. Deinde cum adolescentem sic iussis-  
 tuam, vt cum duntaxat deducam ad annum ætatis quintum supra  
 vigesimum, post id autem suo cum arbitrio permittam: non re-  
 sum



sum mihi fuit conuenire, accuratiùs ad ætatem illam de Theologia verba facere: cum hæc ars vna atque scientia senectuti maxime & sedatioribus annis apta sit. Et si præcepta suscipienda religionis necessaria etiam iuuenta sunt, quemadmodum vtique sunt: satis illa à me in eo libro, quatenus quidem ad adolefcentiam pertinet, sint tradita. Postremò, cum in Hortensio distinctas de philosophia acturus sim, eamque in suas partes omnes distributurus, veluti de qua proprius ibi sermo habendus est: non dari eius dialogi orauementum, quod in laudatione Theologiae vel præcipuum futurum est, in hoc priùs libro delibari conuenire: cum id iucundius tum futurum sit, si ad hominum aures nouum atque integrum accedat. Habes rationem eius præremissionis meæ, quam tibi cupio probatam esse. Certè enim ego quod iudicari esse congruentius, id secutus sum. Et nunc quidem perdifficilis foret commutatio. Plura enim mihi inuertenda in eo libro, vel totus potius liber alio ordine pertexendus esset. Verum de his satis. Te amari à me mirificè, & coli, valde tibi peritissimum esse volo: neque me magis appetere quicquam, quam vt meæ erga te voluntati tua mutuo voluntas in me amando respondeat. Vale. III. Nonas Decembris, M. D. XXXII. Carpentoracii.

## III.

IAC. SADOLETVS EPISC. CARP.

Reginaldo Polo S. P. D.

CERTVS respondi tuis literis, quàm volebam: quod accidit spiritus imbecillitate valetudinis, quæ est grauior me non oppellit, fuit tamen mihi ad scribendum impedimento (destillatibus enim molestis dju sum tentatus) partim quod itineribus necessariis aliquantum tempus consumpsi. Vt verò primùm oportunitas scribendi data est, nihil habui antiquius, quàm literis tuis respondere: præsertim tam modestè, & tam eleganter scriptis. Summus enim tuus in illis pudor, & summa ingenitas apparet. Sed quod tu multis verbis in illis disputas, existimare te, eas laudes quas tibi tribuerim, vel ab amore profectas esse, quomnem iusticiam fallatur: vel si aliquid in eis iudicio sit dandum, id eo intentum esse, vt non quia eiusmodi sis, sed vt talis fias, quod laudes illæ te dignæ esse videantur: iccirco illam à me prædicationem virtutis tuæ dicas esse susceptam. Facis hoc tu quidem quemadmodum cetera soles, vt omnibus in rebus quascunque agas, aut loqueris, mos tuus rectus & liberalis eluceat. Sed ego facit me ab omni illiusmodi disputatione euoluo. Fateor enim

M 3 plane,